



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 48. Synodi cura per Papæ literas Cardinali Mantuano speciatim  
demandata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. „tencia animi cedant, pro summo im-  
 A. C. 1562. „perio præcipiat, desiderantibus omni-  
 „bus, ut nihil deinceps aut proponatur,  
 „aut tractetur, quod non prius a Beati-  
 „tudine sua consultatum sit, ac delibe-  
 „ratum.

## §. XLVIII.

*Synodi cura per Papæ literas Cardi-  
 nali Mantuano speciâtim de-  
 mandata.*

*Pallav. l. 17.  
 c. 5. n. 1. Et  
 c. 8. n. 1. Et 2.*

Postea summus Pontifex hac rerum  
 Synodali relatione diligenter con-  
 siderata, Archiepiscopum Lancianen-  
 sem quamprimum remisit cum literis  
 die vigesima nona Junii hujus anni pro-  
 prio chirographo scriptis, atque ad  
 Cardinalem Mantuanum tanquam Le-  
 gatorum caput directis, in quibus ei-  
 dem Synodi curam commendat; jam  
 enim hunc Cardinalem, ut Tridenti  
 persisteret, permovebat, eique abeundi  
 veniam denegabat, missa Cardinalis  
 Borromæi epistola, quam Arrivabenus  
 detulerat. In ea disertis verbis Simo-  
 nettæ injunctum, ut erga Mantuanum  
 uteretur non modo perquam suavi, &  
 mansueta agendi ratione, sed summa e-  
 tiam confidentia, cum certus esset Pon-  
 tifex, pari ratione a Mantuani comita-  
 te illi responsum iri: insuper Simonet-  
 tæ injungebatur, ut omni, quocunque  
 modo

modo posset, Mantuano abunde gratificaretur, & cum eo cuncta negotia communicaret, frequenterque ejus mensæ ab eodem invitatus accumberet, nec non tunc, ubi ex Episcopis quispiam ad se accederet ad aliquid ejus opera a Pontifice impetrandum, illum cohortaretur, ut is simul a primo Præsidente eam commendationem posceret, adeoque Mantuanus se magni fieri cognosceret non modo ab Episcopis, sed & a Pontifice, quem ipsorum precibus nonnisi Mantuani Cardinalis ministerio satisfacere velle, tandem agnoscerent.

§. XLIX.

*Monita Pontificis ad Patres, ejusque literæ ad Legatos.*

Epistola, quæ Lancianensi Archiepiscopo tradebatur, adhuc majori verborum comitate erat conscripta, in qua summus Pontifex primum Legatum hoc titulo decorabat: *Illustrissima vestra Persona*: quæ tamen nomenclatura antehac Pontificibus erga Cardinales haud usitata erat. Porro Archiepiscopus insuper hæc cunctis Patribus nuntiare jubebatur: „Pontifex omnino vult Concilium esse liberum, omnesque ex animi sui conscientia suffragia ferre, & „Decreta secundum veritatem fieri: nec „etiam Sanctitas sua ægre fert, quod „Præ-

*Sarpinus l.c.*